

*paratus, commeatus pernosceret? qua ratione pons excindi, quo loco machinæ bellicæ subducendæ essent? in dies viginti commeatum ac panem nauticum non suppetere, neque tantas res populorum nutantibus atque ambiguis animis committendas; non eorum fidei periculum frustra faciendum, ne irriti conatus acerbissimis tormentis, inevitabili exitio pœnas luant, in posterumque attriti & exanimes nullo amplius adiumento sint. Quod si ab instituta Aegæi navigatione abstinendum sit, in conservanda classe, qua universum fœderis robur nitatur, præsertim studium impendendum; aut si quid tentandum, Neopatram, propinquum oppidum, tormentis nudatum, parum milite instructum, petendum; commeatus inde classi non defuturos: mox, si ita expedire visum fuerit, unum ex castellis ad sinus Corynthisi fauces situm, quæ haud parum firma esse constaret, invadendum: ex eo loco si in sinum penetraretur, ingentem biscocti panis copiam nancisci, hostibus illius conficiendi opportunitatem adimi, omnemque Peloponnesum terrore ac metu compleri posse.*

His a Superantio dictis, multis quoque a Quirino, & Canaliis disceptatis, cum Venerio Quirinus adsentiretur, Canalius cum Superantio persisteret, imperatoris vicit sententia. Itaque statim ligna, virgulta, publicæ ad crates conficiendos incidi jubentur; munera inter duces distribuuntur; Marco Quirino terrestrium copiarum imperium committitur; Joannes Baptista Quirinus prolegatus diligitur; Aloysio Paschalico castrorum, Mario Calabro tormentorum, Gabrieli Canaliis classiariorum præfectura mandatur. Prosperi Salæ loco, qui in triremi decubuerat, Philippus Ronconius, Superantii præfectus, toti expeditioni præficitur. Canaliis legato iungitur, ut Ducatum promontorium cum decem ac quatuor triremibus prætervectus, Dematam, duobus passuum millibus a Leucade portum, teneat. Inde, Venerio objecta continenti mœnia quater incipiente, ipse movens mari oppidum aggreditur. Ratione itineris constituta, eodem tempore imperator classe fretum insulæ occupat; Canalius cum suarum triremium manu in arcis se conspectum dat; Venerius nocte copias, & tormenta, qua se arctius litus in mare porrigit (*Frignin* locum incolæ vocant) exponit, atque a remige trium passuum mil-

*De Leucade oppugnanda decretum.*